

2.  
/.  
/.  
2.  
3  
/.  
/.  
/.  
2.





DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,

De

ARRESTO

SEU

JURE SISTENDI.

Quam,

TRINUNIUS NUMINIS PRÆSIDIO  
FRETUS,

EX DECRETO ET AUTHORITY,

MAGNIFICI NOBILISSIMI

AMPLISSIMI

CTORUM ORDINIS,

IN

PER ILLUSTRUM MARPURGENSIUM  
ATHÆNEO,

PRO SUMMIS IN VTRIQUE IVRE HONORIBVS,

*Privilegiis & immunitatibus DOCTORALIBUS,*

*rite & legitime consequendis,*

Publico Dnn. Procerum Academicorum

Examini

*Loco & horis consuetis subicit*

*Die Februarii,*

JOHANN CASPAR WANSCHAFFT,

CATTO-CASSELLANVS.

MARPURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADVVITZII, Acad. Typogr.  
Anno M.DC.LXX.

488

1670, 2

21

35




1011  
1012

DISSEPTATIO JURIDICA  
IN  
ARRESTO  
S. E. II  
JURE SUSTINENDI  
TRINUM NUNTIIS TRASIDIO  
EX DECRETIS ET AUT HORTATA  
MACNIFICENTISSIMA  
PER HUIUSMODI MATRONSAM  
JOHANNES CASPAR WANSCHAUER

1013







I. N. D. N. J. C.

Prooemium.



ium justitia munus in eo Potissimum esse deprehendatur, ut suum cuiq; tribuat. Inst. de l. & l. in pr. l. 10. ff. eodem. Solers antiquitas summâ diligentia in vigilavit, ut ordine id judiciario, & viâ legitimâ, non privatâ authoritate rixarum genetrice, procederet; Certas jus suum prosequendi formulas prescribendo. l. 2. C. de ordin. judic. t. t. C. de ord. cogn. l. 1. C. de Exec. rei judicat. l. 1. C. de prohib. sequestrat. l. Negantes. C. de obl. & act. Casibus tamen in tanto negotiorum humanorum labyrintho haud rarò se obvolventibus; qui moras ac judiciales ambages non paterentur: Sequens atas remedia executiva, æquitate & necessitate id suadentibus, arripuit, usq; non minus utilia, quàm necessaria, comprobavit: In quorum classe primas

A 2

facile



4  
facile, propter præcellentem suam utilitatem, re-  
portat ARRESTUM nostræ jam dissertationis  
materies. Ubi non inficias eundem; Arresti  
vocabulum, à Longobardico Arrestari, quod  
nostris sonat idemq; significat, quod detinere, ju-  
bere pedem sistere; derivatum; in jure nostro in-  
cognitum quidem esse: Rei tamen ipsius vestigia,  
non obscura, in l. uni. C. ut omnes jud. l. 3. C. de  
Assessoribus & l. 19. C. de testibus, reperiri; ne-  
mo veritatis amator facile renegabit. Practicis  
authoribus; Jus sistendi, manus injectio, impe-  
dimentum, Verbott / Beschlag / Kummer / Bes-  
kummernis / aliisq; nominibus baptizatur arre-  
stum: Verùm quia res ipsa satis cunctis nota, de  
nominibus parcius solliciti erimus; remq; ipsam  
methodus hæc servat à methodo aggrediemur: ut  
Expeditis, Definitione & Divisione arresti; per-  
spectemus: 1. ejus originem, 2. personas arrestantes.  
3. Personas & res arrestandas. 4. Iudicem. 5. debi-  
tum 6. tempus. 7. locum, 8. ritum. 9. Causas ob  
quas arrestum peti possit & permitti debeat. 10.  
adnotabimus effectus. 11. affinia. 12. Contraria.

THE-





THESIS I.



arum prodesse nosse, quomodo *Definitio*  
 arrestum eautem imponi debeat; nisi in ex-  
 pedito sit, quid sit? Ex re igitur esse vi-  
 detur ejus definitionem praemittere. Re-  
 ctè autem definitur ARRESTUM, Man-  
 datum legis, vel judicis, quo ex justa cau-  
 sâ, prohibetur persona extra jurisdic-  
 tionem judicis, in qua arrestatio facta, secedere; vel res quas-  
 cunque dimovere; donec, ratione impositionis, satisfactum  
 fuerit.

THESIS II.

Præmissam definitionem excipit Arresti divisio, quâ *Divisio*  
 dividitur: in arrestum legis & hominis. Arrestum legis est,  
 quod à lege certis personis imponitur. De quo *l. unica. C. ut  
 omnes judices. Nov. 8. c. 9. l. 3. C. de Assessoribus.* Arrestum ho-  
 minis est voluntarium, de quo inter contrahentes convenit:  
 vel necessarium, quod judicis autoritate interveniente per-  
 mittitur: Et hoc est licitum vel illicitum; Idque tam ratio-  
 ne personarum & rerum arrestandarum, quàm ratione, de-  
 biti, temopris, loci, &c. de quibus infra plura.

THESIS III.

De origine arresti non conveniunt Dd. in horum tamen *Origo.*  
 Castra concedere placet, qui jurigentium id adscribunt,  
 A 3 quod;





quod, necessitate id efflagitante, arrestum, tanquam extraordinarium remedium, præter jus commune, ordini judicio subordinavit: Adeò ut vel ex consuetudine, vel ex privilegio, vel ex conventionem, vel ex præscriptione, ab eo, tanquam ab ordinario remedio (cæteris tamen paribus) ordiri possimus.

#### THESIS IV.

*Persona ar-  
restantes.*

Arrestum impetraturi, hoc intendunt; aut proprio nomine, aut alieno; Proprio nomine id rectè faciunt: Creditor principalis; Cessionarius, titulo Cessionis judici & debitori priùs indicato; Fidejussor contra principalem; de Q. 1. hærede Creditoris hîc quæritur; an tempore, quo conficit inventarium, debitorem hæreditatis, arrestare possit? quod affirmandum putamus.

#### THESIS V.

Prohibentur verò quem pulsare in judicio, licèt non proprio nomine, tamen in propriâ personâ; Personæ Illustræ, Nov. 71. c. 1. Impuberes & 25. annis minores sine tutorum & Curatorum, autoritate, l. 1. & 2. C. qui legit. personam standi in jud. hab, nisi in casibus. l. ult. C. eod. l. 3. §. 11. ff. de lib. hom. exhib. l. 6. ff. de pop. act. l. 6. ff. de jure fisci.

#### THESIS VI.

Alieno nomine jure petunt arrestum decerni (1) Illi, quibus à legibus defertur administratio rei alterius; arg. l. 2. ff. de jurid. (2) Procuratores ex speciali mandato, l. 3. §. 1. ff. quod quisq. juris. Non tamen ex generali, etiam cum liberâ, c. 4. & 5. de procurator. in v. l. (3) Conjuncta persona, necessitatem



litatem arresti, & absentiam cognati demonstrando, l. 35. ff. de procurator. l. 3. §. 3. ff. jud. solv. (4) Socius pro socio, in rebus ad locietatem spectantibus. Societas enim jus quoddam fraternitatis in se habet. l. 63. ff. pro socio. (5) Consortis litis; l. ult. C. de consort. litis. arg. l. ult. C. de duob. reis promittendi. Sed, cum nemo alienæ litis defensor idoneus intelligatur, sine satisfactione; Inst. de satisfat. §. sin. autem, l. 46. §. 2. de procurator. Posteriores, in quantum rem alienam defensuri apparent, aut mandatum alicujus dubium est, de rato cavere tenentur l. 53. ff. eodem. etiam si locupletissimi fuerint, l. 51. §. 2. ff. de procur. vel maximâ dignitate fulgentes. l. 52. ff. eod.

THESIS VII.

Arcentur, alieno nomine acturi, à limine judicii; Ob sexûs verecundiam, Fœminæ l. 2. ff. de reg. juris. nisi in casibus, ubi impuberes atque minores admittuntur, & in casibus l. 41. ff. de procurat. l. 1. & 2. & l. 13. ff. de accusatio. Propter officia: Milites armatæ militiæ, l. 8. §. 2. ff. de procurat. l. 7. C. eodem & Clerici l. 41. C. de Episc. & Cleric. l. 23. C. de testam. c. 2. extra. X. clerici vel monachi secula Nego. se immisc. propter ætatem, impuberes & minores.

THESIS VIII.

Arrestum impetrant, nec proprio nomine nec alieno; propter morbum; furiosi, mente capti, surdi, muti, ex rationibus notissimis, propter statum; servi. l. 44. §. 1. ff. de jud. propter delictum: Excommunicati, c. intelleximus. 7. extra de jud. Banniti sive proscripti; Mynsing. cent. 3. obs. 3. Hæretici, anth. Credentes, C. de hered. & maniche.

THE-





T H E S I S I X.

*Persona ar-  
restanda.*

Expositis personis arrestaturis; methodi præscriptum secuturis, necessum est transire ad personas & res arrestandas. Arresto subjacent, personæ regulariter omnes, quæ jus, vel factum debent: post habitâ differentiâ sexûs; *Coler. de process. execut. part. 2. c. 3. num. 199.* tam ipsæ quam ipsarum hæredes & fidejussores; hi tamen, ante factam excussionem *Q. 2.* principalis aut notoriam debitoris inopiam, non rectè arrestantur.

T H E S I S X.

Hunc rigorem tamen declinant (1) qui res alienas defendunt, ac ratione officii contraxerunt, *l. 2. ff. de admin. tut. & curat. l. 1. C. quando fiscus vel privatus.* (2) Institores & factores, *arg. l. 3. in fin. C. ne uxor. pro marito.* (3) Uxor in contractu mariti, *l. 1. & 2. C. eod.* (4) quos ætas aut morbus excusat, ob privatum & civile debitum, non arrestantur. *arg. l. 12. ff. ad l. Corn. de sic. & l. 22. in pr ff. de fals. illos tamen, ob delictum, si infantiam exceßerunt, & jam doli capaces sunt, sisti posse, delictum nullum est, l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 23. ff. de furtis.* (5) Qui in dignitate sunt constituti; Cujus prædicati existunt: Nobiles, Doctores, Professores, Medici, & c. *text. in l. 6. C. de Professor. & Medicis,* quod ad eorum conjuges & liberos extendit *l. fin. §. penult. & ult. C. eod.* (6) Qui in solidum conveniri non possunt, sed in id quod facere possunt, quales sunt: Milites qui sub armatâ militiâ stipendia meruerunt, *l. 6. ff. de re jud. l. 18. eod.* Socius, *l. 63. ff. pro socio.* Parens, *l. 16. ff. de re jud.* Patronus, Patrona liberique eorum & Parentes, *l. 17. d. 1. Maritus, pro dote d. l. 17. §. 1. l. 12. ff. solut. matrim.*



*matrim. & ex aliis contractibus uxori obligatus. l. 20. ff. de re iud. Uxor §. 1. d. l. Socer, pro dote promissa, l. 21. d. 1. nisi in casu l. 84. ff. de jure dot. Donator, l. 19. §. fin. ff. de re jud. l. 33. ff. de Donatio. quod tamen ad eorum hæredes non pertinet, l. 25. ff. eod. de re iud. nisi sint sui. l. 18. ff. solv. matrim. qui bonis cessit, l. 4. ff. de Cess. bon. Inst. de act. §. fin. & de replic. §. fin. (7) Debitor debitoris; nam iniquum est aliquem alieno odio prægravare, l. 3. in fin. C. Ne uxor pro marito. l. unic. C. ut nullus ex vica. lib. 11. Secus de debito, l. 15. §. 2. & §. 8. ff. de re jud. l. 5. C. de Execu. rei jud. l. 3. C. quand. fisc. vel privat.*

### THESIS IX.

Nec etiam arrestum patiuntur. (8) Qui negotii publici causa abesse cœperunt. l. 2. §. 3. ff. de iud. nec eodem tempore contraxerunt. l. 25. ff. de jud. & qui utilitatis & spei publicæ causa abesse dicuntur. Quales sunt Scholares l. 1. C. qui atate vel profess. quod ad eorum patres, filiorum causâ, in loco studii commorantes meritò extendit *Peckius. De jure sistendi. Cap. 5. n. 3.* nisi ibi contraxerint aut solutionem promiserint, *arg. d. l. 25. ff. de jud.* Item, qui ad exercitum comæatum adferunt, nam & hi reipublicæ causa abesse dicuntur, l. 5. §. 3. ff. de jure immun. l. 3. C. de Naviculariis. lib. 11. (9) Qui ex aliâ probabili aut necessariâ causâ, putà: appellationis justificandæ, testimonii dicendi, aut judicandi, vel tutelæ rationis reddendæ causâ, ibi reperiuntur. l. 2. §. 3. ff. de jud. nec ibi contraxerunt. §. 4. eod. (10) qui pactis conventis contra arresta egerunt; nihil enim tam congruum est fidei humanæ, quàm servare quæ inter contrahentes placuere. l. 1. ff. de pactis. Nec enim licet cuiquã contra sua pacta venire. l. 29. C. eod. (11) Qui privilegium non arrestandi impetrârunt, sive sit universitas,

B

sive



sive privatus, l. 3. ff. de Const. princip. l. 2. C. eod. (12) Qui im-  
 mobilia aut mobilia talia, quæ ipsos è suspicione fugæ eripi-  
 piunt, possident, l. 15. ff. qui satisd. coguntur. (13) Qui literas  
 moratorias, seu, ut vocant, quinquennales à summo Princi-  
 pe impetrarunt, pro solutione facienda arrestari non pos-  
 sunt: bene verò pro præstanda cautione, l. 4. C. de precibus  
 impato. offerendis. (14) Quibus dies nondum venit, Inst. de  
 act. §. 33. vers. tempore, nisi ex justa causa. (15) Cives singuli,  
 pro debito universitatis vel civitatis; subditi pro debito Do-  
 minorum, l. 7. §. 1. ff. quod cujuscungq. univers. (16) Cadave-  
 ra vel corpora defunctorum, l. ult. C. de sepulchro violato.  
 Nov. 60. cap. 1.

## THESIS XII.

Q. 3. Cum inanis actio sit, quæ inopiâ debitoris excluditur,  
 ut hab. l. 6. ff. de dolo malo: Dubium hîc incidit; An debitor  
 notoriè inops efficaciter arrestari possit? quod dubium, hâc  
 distinctione resolvitur: debitor aut tempore contractus  
 fuit inops; & hoc suâ culpâ, vel ex casu fortuito: primo casu  
 Creditor ipsius inopiam vel scivit, vel probabiliter scire po-  
 tuit; paria enim sunt in jure, scire; scire debere, & scire posse.  
 l. 48. ff. de fidejussorib. l. qui cum alio. 19. ff. de reg. juris. & tunc  
 debitum est vel parvum, vel magnum: si parvum, probabiliter  
 spem solutionis habere potuit Creditor, & ideò in termino  
 promisso fidem fallens, remoto dubio, arrestari potest. Sin-  
 debitum est ita magnum, ut spes solutionis non appareat,  
 vel tempore contractus non apparere potuerit; sibi imputa-  
 re debet, qui cum tali contraxit, imparemque contrahendo  
 idoneum comprobavit, l. 3. vers. planè ff. de fidejuss. l. 5. §. 3. ff.  
 jud.



*jud. solvi. l. ii. ff. de separat. l. io. §. i. ff. qui satis d. cogantur.* hincq; ad hoc remedium non potest convolare. Si verò fuit ignorans creditor conditionis, debitoris, crediditque hominem esse solvendo; quia publicè ita fortè credebatur: & ipsum arrestari posse, extra dubitationis aleã esse putamus. Secundo casu, aut factus est inops suã culpã, & potest arrestari. aut casu fortuito, vel ex vi majori; & tunc vult cedere bonis, vel non vult: *Isto casu effugit arresti tædia. arg. l. i. & ult. C. de cessio. bon. Nov. 135. cap. i.* hoc verò non; nisi latisfecerit.

### THESIS XIII.

Dubia quoque valdè quæstio est; an debitor ob delictum damnatus, à Creditore, ob debitum pecuniarium, arrestari possit; ita ut sententiæ criminalis executio suspendatur, donec debitor solverit, aut operis suis, serviendo, ei latisfecerit? in quã, si sententia ad existimationem pertinet, affirmativam: Si ad capitis periculum, negativam sententiam tuebimur.

### THESIS XIV.

Disquiritur prætereà, an subditus propter injurias verbales, quas Principi ac Domino suo illatas dicit; arrestare possit injuriantem? Nobis negantium sententia placet, *per text. in l. vn. C. si quis Imperat. maledix.* Idem statuitur in Vasallo.

### THESIS XV.

Si arrestatus, arrestum recipere nolit, sed contra id, tanquàm iniquum, protestando discessit, & arrestantem ex *L. diffamari ad suum judicem, ut competentem, citari procurat,*



Q. 6. curat; oritur dubium: An contumacia per id satis purgata sit? & an isto modo evocatus comparere debeat, de jure suo docturus? utrumque negantibus, nostrum quoque calculum adjicimus. Idem dicimus si arrestatus satis dedit.

### THESIS XVI.

*Bona arre-  
standa.*

Bona itidem arrestari possunt indifferenter omnia, quæ in hominum commercio sunt; Sive res mobiles sint, sive soli. l. 1. C. de pign. & istis non sufficientibus, etiam nomina. l. 15. §. 2. & 8. ff. de re judic. pupillorum quoque & impuberum, ex contractu Paterno, l. 8. C. Mandati vel contra tutorio vel curatorio. l. 2. ff. de adm. tut. & cur. l. 15. §. fin. ff. de re jud. bona parentis à filio, bona Domini à Vasallo creditoribus arrestari possunt. arg. l. 14. ff. de cond. indeb. l. 206. ff. de reg. ju. nec igitur videntur injuriã facere, qui jure publico utuntur; juris enim executio, non habet injuriam, l. 13. §. 1. ff. de injuriis. res vendita & nondum tradita. d. l. 15. §. 11. vers. hoc amplius. ff. de re ind. modò pretium sit solutum venditori, aut alio modo satisfactum l. 11. §. 2. circa fin. ff. de aet. empt. & vendit. quandoque etiam res propria.

### THESIS XVII.

Respuunt tamen arrestum; bona alimentis destinata arg. l. 4. & 6. ff. de Cessio. bonorum. l. 34. de re jud. (2) Stipendia Studiosorum, quæ alimentis æquiparantur. (3) Salaria, Professorum, honoraria Advocatorum, & Stipendia militum; Publicæ quippè rei interest, ne per illud negligentiores, quilibet in suâ functione, reddantur: Aliis verò bonis non exstantibus, nec his studiosa suum cuique tribuendi æquitas parit,



parcit. *arg. l. 4. C. de Execut. rei jud.* (4) Libri Studioforum & arma militum. *arg. l. 7. C. qua res pign. oblig. pos. nisi in subsidium.* *Carpz. Defin. forens. part. I. Const. 29. defin. 31.* (5) Instrumenta rustica & boves & equi aratorii. *l. 7. 8. & seq. auth. Agricultores. C. qua res pig. obl.* (6) hæreditas jacens. Nisi nudæ custodiæ & fraudis præcavendæ causâ. *l. 8. ff. quib. ex causis in poss. ear. l. 9. §. 1. in fin. eod.*

### THESIS XVIII.

Ex ordine, nunc occurrit Judex, Qui omnimodo competens esse debet. *rubr. & l. 2. §. 3. ff. de jud. rubr. C. si à non compet. iud. aliàs quod per eum statuitur, retrò invalidatur. l. 2. C. eod. eiq; impunè non paretur, l. ult. ff. de iurisdic. nec ad ipsius vocationem quis comparere tenetur, nisi ut alleget incompetentiam. l. 2. ff. si quis inius voc. l. 5. ff. de jud.* Index:

### THESIS XIX.

Cùm actor rei forum sequi debeat, *l. 2. & l. 5. C. de iurisd.* Videbimus, quomodo forum efficiatur competens: fit autem (1) Ratione domicilii, *l. 1. & 2. ff. de reb. auth. jud. poss.* Domicilium verò quis habere dicitur; ubi larem, rerumque suarum summam constituit, unde rursus non est discessurus, si nihil avocer, & unde cum protectus est, peregrinari dicitur. *l. 7. C. de incolis & ubi quis dom. lib. 10.* (2) contractus. *l. 2. §. 4. l. 19. §. 1. & 2. ff. de jud.* (3) Destinata solutionis, ibi enim contraxisse intelligitur, ubi solutionem promisit. *l. 21. ff. de obl. & actio. l. 3. ff. de reb. auth. jud. poss.* (4) Rei sitæ. *l. 38. §. 3. l. 52. §. 3. ff. de jud. l. fin. C. ubi in rem actio.* (5) Si persona arrestanda est fugitiva vel de fuga suspecta, *arg. l. 10.*



§. 16. ff. *quæ in fraud. Creditorum*, l. *Generali*, 54. C. *de decurio*.  
 (7) Si deliquit: Delinquens enim regulariter ibi forum sortitur, ubi delictum reperitur admissum. l. 11. ff. *de Custo: reor.* l. 7. §. 4. ff. *de accusa*, l. 3. ff. *de offic. Præsidis*, l. 1. C. *ubi de crim. agi oport. caus.* 3. q. 6. c. 1. & ult. [8] Si nimis improbam moram nexuit in solvendo ad terminos promissos, l. 43. ff. *de jud.* (9) Si pactis conventis Creditori propriâ authoritate, arrestandi licentia concessa: non factâ mentione alicuius loci. (10) Si ex statuto, Privilegio, consuetudine, aut præscriptione, arrestum prorogat Magistratûs jurisdictionem.

### THESIS XX.

Licentia est omnibus, iis quæ pro se indulta sunt, renunciare, l. 29. C. *de pactis*, Nov. 136. cap. 1. si inter contrahentes ita actum sit; ut coram iudice cuius jurisdictioni non subsunt conveniri possint; & arrestatus, in vim exceptionis fori declinatoriæ opponat, mutatam voluntatem, per l. 18. ff. *de iurisd.* Quæritur, an sit audiendus? quod negamus, Ducti l. 51. C. *de Episc. & Clericis*.

### THESIS XXI.

Ex consuetudine plerunque certa pœna arresto annexa solet; iudex ad certam summam datus, propositâ pœnâ, suæ jurisdictionis summam excessit. Quæsitum est: an arrestum propter defectum jurisdictionis, retrò invalidetur? Negatur, arg. l. 29. ff. *de usur. & fructib.*

### THESIS XXII.

Ne tamen injuriarum nascatur occasio, unde jura nascun-



scuntur. l. 6. *quæ* propter urgentem necessitatem  
recepta, non temerè in consequentiam sunt producenda,  
l. 14. ff. de LL. & iudex prudens, sicut non ad nudam petiti-  
onem cujuslibet decernere ac permittere, ita nec in quolibet  
debito arrestum præcipitare debet. Cæterùm si facilis ni-  
mium, injuriarum: si præter modum scrupulosus, propter re-  
tardatam justitiam ad interesse, uni aut alteri litigantium te-  
nebitur. In dubio igitur consultum erit iudici, cautionem  
exigere, de se indemnem servando. *text. in Auth. generaliter.*  
*C. de Episc. & Cler. Colerus de process. Execut. Part. 1. c. 2. num.*  
*116. & seqq. Carpzov. part. 1. const. 29. def. 24. & 25. nonnulli Q. 8.*  
hîc urgent fidejussoriam & per pignora latisdationem. Ne  
tamen paupertas obsit hoc modo creditori, & ex defectu fi-  
dejussorum, justam sæpè prætensionem deserere cogatur,  
tutior æquitatque conformior erit sententia *Carpz. d. l. n. 26.*  
qui juratoriam cautionem, quandoque & nudam promissio-  
nem admittit. *arg. l. 2. §. 6. vers. sed utrum. ff. de judiciis.*

### THESIS XXIII.

Debitum omne est fundamentum arresti sive ex con- *Debitum;*  
tractu veniat vel quasi; sive ex delicto vel quasi. Ad hoc ta-  
men, ut consequamur debitum, requiritur; ut debitum sit li-  
quidum & confessatum: aut alio legitimo modo probatum,  
*arg. l. 15. §. 9. ff. de re judic.* Quin & liber rationum mercato-  
ris, si necessaria requisita habet, est sufficiens probatio pro  
concedendo arresto. Causâ verò repertâ altioris indaginis  
esse, arrestum sub cautione de iudicio sisti & iudicatum solvi,  
relaxatur, & ad ordinarium iudicium remittitur. Sanè pro-  
pter debitum modicum aut minimum; quod ad duos aureos  
*restrin-*



- Q. 9. restringere conantur, [nos id prudentiæ judicis, ex personarum qualitate & circumstantiis; quæ sit minima summa, decidendum relinquimus] personam detineri posse negant:
- Q. 10. Nos si debitum ex delicto oritur; etiam ob rem minimam, arrestum imponi posse, non dubitamus asserere. *arg. Inst. de rer. Divi. §. Gallinarum.*

#### THESIS XXIV.

*Tempus.*

In tempus nunc, quo arrestum impetrari possit, prælabimur; Ubi hanc regulam dabimus: *Quo tempore non possumus aliquem in jus vocare, eodem ipsum etiam non possumus arrestare.* Quæ tamen fallit, si justa causa, quas infra notabimus, aliter suadet.

#### THESIS XXV.

Consequens est, injustum tempus arrestum petendi esse. (1) Si Dies non venit nec conditio exstitit. *Inst. de actio. §. 33. vers. tempore.* (2) Cum intra novendium à morte alicujus, eius hæreditas inquietatur. *Nov. 115. cap. 5.* (3) Cum diebus feriatis imponitur. *l. 1. ff. de feriis.* nisi periculum in mora sit, & facilitas conveniendi evasura, aut actionis dies sit exiturus, *d. l. 1. §. 1. & 2. l. 3. ff. eod. l. 28. §. 4. ff. de jud.* (4) Quando arrestatio fit durantibus nundinis solemnibus & privilegiatis, ob debitum privatum, *l. unic. C. de Nundinis. Peckius de iure Sistendi cap. 7. n. 3.* Nam in his, propter datum publicæ securitatis signum, neque personæ, neque merces, ob privatum debitum arrestari possunt. *quod Carpz. part. 1. const. Q. 11. 30. defi. 24. cæteris exclusis, ad solos mercatores restringe-*

Q. 12. re conatur; cuius sententiæ non subscribimus. Huius tamen privilegio renunciari posse affirmamus.

THE-



THESIS XXVI.

Hoc privilegio, utut generali, non fruuntur (1) Malefici & ob delictum banniti. *arg. l. 2. C. de exhib. & transmit. reis. vers. ei verò & l. 4. ff. de pœnis. Nov. 17. c. 7.* (2) Debita ipso nundinarum tempore contracta, *arg. l. 24. §. 1. & l. 25. ff. de jud. l. 138. ff. de verb. oblig.* (3) Ii, qui nundinarum tempore solutionem promiserunt: congruum enim est, ut servant promissa, *arg. l. 1. ff. de pactis. cum grave sit fidem fallere l. 1. ff. de const. pecu. & nemini liceat contra sua pacta venire, & alium decipere, l. 51. C. de Episc. & Cler. l. 29. C. de pactis.* (4) Alio tempore latitantes, *arg. l. 1. vers. ult. & l. 3. ff. de feriis. l. 3. C. eod.* (5) debita iurata. *c. cum contingat. 28. extra de iurejur. l. 1. & auth. Sacramenta Impuberum. C. si advers. venditio.* Imò plane cessat hoc privilegium, nundinis finitis, *arg. l. 2. §. 4. ff. de iudiciis.*

THESIS XXVII.

Ad locum devenimus: In quo contraxit, solutionem *Locus.* destinavit; & ubi domicilium habet debitor, est justus arrestum imponendi locus; & in quo deprehenditur in morâ constitutus, ibi pulsari potest. *l. 19. in fin. ff. de iud. l. 43. eod. l. 1. ff. de eo quòd certo loco.* Petitoris tamen, ubi debitum exigere velit, electio est. *l. 2. §. 3. vers. & generaliter: habitâ interea ratione, interesse loci. d. l. 2. §. fin.* Cœtera, quæ hûc faciunt, haud difficulter colligi possunt. ex *Thesi 19. supra.* Cæterum ubi iudex reperitur competens, ibi [cœteris paribus,] locus æquè justus æstimabitur. De loco loci, & tempore temporis, quia necessitas vix regulis concludi potest, consultò silentium tenemus.



.ept

18

### THESIS XXVIII.

Cum iudicium finiri debeat, ubi semel ceceptum est, l. 7. & l. 30. ff. de iudic. non extra oleas spatium videbimur, si qua-

Q. 13. stionem hic movemus: An lite alibi pendente, arrestum in alio iudicio imponi possit? Distinguitur, aut de novâ & emergente causâ, puta, quia, factus fugitivus arrestandus; vel de fuga suspectus: aut de veteri quaeritur. Isto casu posse a-jimus. hoc verò, ultra quod causâ jacturam patitur, ad inde-mnitate præstationem tenetur, arrestaturus. *text. l. fin. S. ult. C. de in jus voc.*

### THESIS XXIX.

Q. 14. In templo aut alio loco sacro, & divinis officijs dicato,

Q. 15. repertus, etiam fugitivus, vel de fuga suspectus, arrestari non potest. Sed qui funus familiare ducendi, cadaver comitan-di, & uuptias celebrandi causâ accesserunt in summâ necessi-

Q. 16. tate tantum, peractâ scilicet pietate. An qui non suâ spon-tè, sed vi ventorum & tempestatis injuriâ appulsi, hoc iugum subire cogi possint & debeant? magis dubitatur: distingui-

Q. 17. tur. De eo qui transigendi causâ evocatus est; quod ad vocan-tem, negativa; quod ad alios affirmativa placet.

### THESIS XXX.

Ritus.

Ritus arrestum imponendi, pro locorum & consuetudi-num diversitate, tam varii reperiuntur; ut vix certi quicquam in re tam ambiguâ statuere liceat. Ritus juris Saxonici accu-ratè depingit *Carpz. Def. for. part. 1. Const. 29.* Ubicunque lo-corum consuetudinem & stylum Curia, qui legem imitatur, inspiciendum esse, tutius remur: præcipuè cum ejus negle-ctus,



Etus, arrestum reddat retrò nullum. De jure communi, nec quicquam ad ritum desiderabimus in causis privatis & civilibus pecuniariis, quàm; Instantiam partis; Mandatum judicis; legitimam ejus executionem, & citationem.

THESIS XXXI.

Nec itaque permittimus Creditori facultatem, propriâ autoritate debitorem arretandi, arg. l. 176. ff. de reg. juris. non etiam in casu l. 10. §. 8. ff. de his qua in fraudem Cred. & l. 54. C. de decurio. nisi ad hoc, ut judici eum repræsentet, arg. l. 25 ff. ad L. Jul. de Adult. Nec licitori; etiam ad instantiam partis; Cum hîc non de facto licitoris vel apparitoris, sed de mandato judicis quærat. Quamvis in quibusdam locis ex consuetudine contrarium observetur: sed malè.

THESIS XXXII.

Ex justis causis ab ordinariis remediis quandoque devortium faciendum esse, & ad extraordinaria convolandum, suprâ ostensum est: Idque accidit, toties, quoties periculum in morâ. arg. l. 5. ff. de hered. peti. necessitas enim ex illicito licitum facit. l. 27. ff. de manumiss. testam. l. 7. ff. de adm. tuto; Justas autem causas arrestum concedendi censemus: [1] Circumvagationem. [2] fugam, & fugæ suspicionem. [3] dilapidationem. [4] Emigrationem vel domicilii mutationem. [5] diffamationem. [6] Justitiæ in loco domicilii debitoris denegationem. [7] moram nimis improbam, [8] Contumaciam. [9] Delictum. [10] Favorem veritatis. [11] Debitum fiscale. [12] quoties quis in persona quid tenetur præstare, in judicio. [13] Ubi advena contraxit in civitate, C 2 cujus





eius fidem Creditor non est secutus. [14] fraudem circa ve-  
ctigal admittam. [15] Justitium. [16] quoties præter præme-  
moratos casus statuta arrestum concedunt.

THESIS XXXIII.

Effectus.

Cum omnis actio propter finem instituat: Superiori-  
bus exantlatis; qui effectus ex impositione arresti remanent,  
videndum restat. Mirabiles effectus Saxonici Dd, arresto  
adscribunt; sed quia jam diverso ab iis coelo, fors vivere de-  
dit, hos annectere ex composito prætermittimus: De jure  
communi, quid sentiendum arbitramur, notantes. Causa  
finalis arresti est; ut Creditor suum consequatur: Effectus:  
ut ejus tædio compulsus debitor, id ei reddat, *arg. l. 5. ff. ut in  
poss. legat.* aut quare reddere non debeat, coram iudice arre-  
stante protestetur; & relaxamentum arresti, ulterioremve  
causæ cognitionem & interlocutionem expectet.

THESIS XXXIV.

Q. 18, Quod si arrestatus, contumaciter arresti repagula fre-  
git, & fugâ sibi prospexit; quæritur: an contra ipsum absen-  
tem, tanquam contra præsentem, procedi possit? quod affir-  
mandum censemus siue ob civile & pecuniarium debitum, *l. 53.  
ff. de re judicata.* siue ob delictum sit arrestatus, *arg. l. 13. ff. de  
cust. reo.* succedit enim arrestum in locum peremptorii edicti,  
ita, ut eo absente; missio in possessionem bonorum legitimè  
procedat. *l. 2. Pr. l. 8. C. quomodo & quando jud. cap. quoniam  
frequenter. ult. §. fin. extra. ut lite non contestata.* fitque hæc  
missio non solum in mobilia, sed in immobilia quoq; istis non  
sufficientibus, & actiones. *l. 1. C. de pæto pign.* quomodo por-  
rò procedendum sit, ut nostrum cum effectu consequamur,  
prehendere licet ex *l. 15. §. 21. ff. de damno inf. l. 3. §. ult. ff. de  
acquir.*



acquir. & amit. poss. ejus effectum. l. 5. pr. ff. de dam. inf. & d. l. 15. Q. 19.  
 §. 17. & 33. eod. Sed si nulla bona possideat ibi contumaciter  
 latitans, multâ coërcetur. l. 2. §. 1. ff. Si quis in jus vo. Si in-  
 opiâ laborat, propositâ poenâ corporali. arg. l. ult. ff. de in ius  
 voc. l. 1. §. fin. ff. de pœnis. & hanc negligens, carcere. arg. l. 1. &  
 ult. C. de cess. bon. vel banno. *Mavim. tract. de Arrest. cap. 24.*  
*n. 19. & seqq.*

THESIS XXXV.

Elegans & in foro sæpius ventilata quæstio hîc incidit:  
 An qui prior arrestum in certis bonis impetravit, jus præla- Q. 20.  
 tionis in iis habeat? Quod, si non ex alio simul fundamento  
 deducatur, negabitur. *per text. in l. si finita. 15. §. si plures. 15. ff.*  
*de dam. inf. l. 12. ff. de reb. auct. jud. pos. l. 5. §. 3. ff. ut in poss. le-*  
*gat.* si enim immissarii, nullam prælationis prærogativam ex  
 isto immissionis ordine prætendere possunt, multò minùs ar-  
 restatarii. Nos igitur hâc limitatione litem dirimere cona-  
 bimur: Arrestum aut imponitur rebus, pro securitate debiti,  
 & nullum jus prælationis tribuit: aut imponitur ex instru-  
 mento publico quod de jure & consuetudine paratam exe-  
 cutionem habet; pro consequenda solutione: & hoc casu,  
 arrestans pignus judiciale, & confirmatum in re jus conse-  
 quitur, quod ipsi per subsequenti arrestatoris factum auferri  
 non potest.

THESIS XXXVI.

Non minus elegans frequensq; in foro ex illa hæc quæ- Q. 21.  
 stio oboritur: an per impositionem arresti litis pendentia, si  
 cut per quamlibet citationem, inducatur: ita, ut ubi arrestum  
 imposuit arrestator, causæ finem quoque expectare, debeat  
 nec arrestatum in alio loco, quàm arresti convenire possit?



Quem Gordium nodum absque disputatione solvi non posse arbitramur; dissolvitur itaque hoc modo: *Aut* impositum est arrestum ex necessitate; puta quia actio tempore erat peritura: cuius species facti in *l. 28. §. 4. ff. de iudic.* vel debitor est in fuga, & ad hoc arrestatur, ut securum reddat arrestantem: vel fit impositio ex instrumento quod paratam executionem habet: & non inducit litis pendentiam. *Aut* impositum est, ut de causa cognitio instituat; & inducit. Nec enim mutare consilium in alterius detrimentum vel injuriam cuiquam licet. *l. 75. ff. de reg. iur.* viamq; quam quis semel elegit ire debet. *l. 21. §. fin. ff. quod metus causa.*

#### THESIS XXXVII.

In expedito est, missum in possessionem bonorum creditorem, jus pignoris consequi. *l. non est mirum. 26. ff. de pig. act. l. 1. & 2. C. de praeo. pig.* quaeritur: itaq; an missus in possessionem bonorum, eo non obstante, debitorem arrestare possit? quod, cum eo in casu, ubi diversa remedia competunt executiva, ad eundem effectum tendentia, electio unius non inducat renunciationem alterius, arg. *l. 5. C. & in pos. leg. l. 14. l. 24. C. de pign.* intrepidè affirmamus, per text. in *c. quoniam. §. fin. extr. ut lite non contest.*

#### THESIS XXXVIII.

Consequens huic quaestioni est illa, qua quaeritur: cum ante realem immisionem Creditorum, in rebus arrestatis pignus non constituatur *l. 26. §. 1. ff. de pig. acti.* An res arrestata fiat litigiosa? & an cum effectu alienari non possit? hoc affirmatur: illud negatur. Nam etsi litigiosi vitium per arrestum non contrahatur, tacitum tamen quod semper in esse creditur mandatum iudicis, de non alienando, impedit & retro.



ertrahit alienationes in fraudem Mandati factas, *Marius de arrest. cap. 15. n. 42.*

### THESIS XXXIX.

Tandem ad affinia arresti perducti sumus, quæta sunt: *Affinia.* Sequestrum, Obstagium, Pignoriatio, Custodia, Carcer, Executio: Item jus retentionis, quo gaudent, Nautæ, Aurigæ, Caupones, Hospites, Opifices, Locatores, Conductores, inquilini &c. Sed quandoquidem horum differentia ab isto, & inter se, passim à Dd. notantur: & harum aliquæ altioris Disquisitionis inveniuntur, quas hîc sigillatim persequi non est nostri instituti; ideò, his missis, ad Contraria descendimus.

### THESIS XL.

Contraria sunt impediencia vel resolventia: Arrestum *Contraria.* Impediunt: indebitum; debitum illiquidum; impurum sive conditionatum; Privilegium; literæ moratoriæ; conventio in contrarium; dignitas; ætas; morbus; incompetencia fori; reverentia certis personis debita; Possessio immobilium; Publica utilitas; & alia: de quibus supra in suo convenienti loco egimus. Resolvunt Solutio, naturalis & civilis. *Insti. quib. mod. sol. obl. l. 107. ff. de sol. & lib. Satisfactio vel satisfactio per fidejussores aut pignora, l. 52. ff. de sol. & lib. l. 6. Vers. planè ff. de muner. & hon. Cessio honorum, arg. l. 1. & ult. C. de ces. bono. Nov. 135. cap. 1. termini ab actore ad prosequendum arrestum dati, prætermissa observatio, arg. l. 21. C. de adult. Sed Q. 24. queritur, an arrestatus ex instrumento quod paratam habet executionem, si cautionem offert, sit relaxandus? quod negamus per text. in l. 21. §. 2. ff. de pecu. const. l. 10. ff. de pig. act. Plura de utilissimâ hâc & in toto usq; quotidiano frequentissimâ materie scribere, propositum brevitatis studium dissuadet. Revisitaq; Clausis, summo per exigui hujus laboris moderatori, laudem ac gloriam perennem Damus.*





### Corollaria.

- I.** **S**upremum tribunal Spirense, etsi in decretis ac sententiis suis, solum Imperatoris nomen præ se ferat, tamen non abs solo Imperatore, sed etiam ab universis ordinibus dependet.
- II.** Nobilitas, sive per se ipsum, sive per alium Nobilis negotietur, obfuscat.
- III.** Creditor, ex pacto propriâ autoritate pignus occupare potest.
- IV.** In pariete proprio sine Servitutis jure lumina sive fenestras, per quas in alienum prospiciatur, etiam invito vicino habere licet.
- V.** Venditor fidem de precio habens, non retinet, Pignus legale in re venditâ & traditâ.
- VI.** Sponsalia de præsentibus, dirimi non possunt, nisi ex causis, quæ matrimonii separationem concedunt.
- VII.** Testamentum tempore pestis conditum, in numero testium non sublevatur.
- VIII.** Fidejussor, Principalem se in casu non servati termini constitnendo, beneficium ordinis non amittit.
- IX.** Citatio non est fundamentum iudicii.
- X.** Spontanea Confessio, si non constat de delicto, in Criminalibus non est sufficiens causa ad condemnandum.
- XI.** Sententia ad Consilium periti in arte lata, non transit in rem iudicatam.
- XII.** Fœminæ regulariter ad successionem feudi non admittuntur; etiam si feudum generaliter hæredibus fuerit concessum. Nec etiam Masculi ex fœminis descendentes.

*Coronidem addat.*

Duellum ad Corporis & rerum defensionem susceptum, est licitum; An & id quod honoris aut existimationis defendendæ causâ instituitur? Distinguitur.

**FINIS.**












X 261 5933

W 17











B.I.G.

Farbkarte #13

JURIDICA  
ALIS,

438

1670, 2

STO  
ENDI.

21

IS PRÆSIDIO

THORITATE,  
OBILISSIMI

MI  
RDINIS,

URGENTIUM

RE HONORIBVS,

CTORALIBUS,  
uendis,  
ademicorum

Subjicit

ANSCHAFFT,  
LANVS.

TORUM,  
ITZII, Acad, Typogr,  
X.

35

